

MORBIS SIMULATIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

DE

MORBIS SIMULATIS.

---

DE

DE

DE

GASTRITIS

DE

DE

DE



DE  
**MORBIS SIMULATIS.**

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS**  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**  
IN ALMA  
**UNIVERSITATE LITERARIA TURICENSI**  
PRO SUMMIS  
**IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA**  
HONORIBUS  
RITE CAPESSENDIS  
DIE XI. MENSIS AUGUSTI A. M.DCCC.XLIX.  
PUBLICE DEFENSURUS EST  
**GASPARUS OBRIST,**  
ZOLLIKONENSIS TURICENSIS.

---

**TURICI,**  
EX OFFICINA ORELLII, FUESSLINI ET SOCC,  
1849.



Morbi simulati ii nominantur, qui ab hominibus vel plane finguntur, vel majori quam sunt, gradu impertiuntur, quamvis ipsi valetudine bona vel mediocri utantur. Jam a primis temporibus fraudes ejusmodi sunt commissae et historia cum omnium saeculorum tum cujusque populi exempla innumera praebet. Plutarchus in libro: «De differentiis inter adultos,» narrat, aulicos Dionysii Syracusani, qui in eo erat, ut visu privaretur, eodem tempore coecitatem esse mentitos. — L. J. Brutus, ut avunculum deciperet, amentiam simulavit, quod Livius hisce verbis narrat: \* »L. J. Brutus, juvenis longe alius ingenio quam cujus simulationem induerat. Is, quum primores civitatis, in quibus fratrem suum, ab avunculo interfectum audisset, neque in animo suo quicquam regi timendum, neque in fortuna concupiscendum relinquere statuit, contemptuque tutus esse, ubi in jure parum praesidii esset. Igitur ex industria ductus ad imitationem stultitiae, quum se suaque praedae esse sineret regi etc.« Martialis mentionem facit cujusdam Coeli, qui, ut nonnullis podagra affectis Patriiis Romanis placeret, hunc morbum unctione et fasciis pedibus applicatis tam diu imitatus sit, dum in eundem morbum inciderit. Eadem de causa aulici Ludovici XIV. regis Gallorum, fistulas ani praetexuerunt, et fama fert, complures re vera esse hoc morbo affectos, qui a chirurgis inepte instrumenta inferentibus inspicerentur.

Paraeus\* profert multas historias mendicorum et furum qui mala maxime obscœna imitabantur, ut misericordiam divitum moverent et beneficia colligerent.

---

\*) Liv. Lib. 1, c. 56. — \*\*) Opera chirurg. Francof. 1594 Lib. 24 cap. 15.

Appianus in libro: De bello civili, narrat, quendam Romanum, ut proscriptionem Triumvirorum effugeret, aliquamdiu emplastrum oculo dextro applicasse et hominem luscum imitatum esse, fasciis vero post aliquot menses remotis, re vera caecutisse. Maxima admiratione digna mihi videtur historia mulieris istius Havniensis, Rachel Hertz nominatae, quae permagnum acuum numerum per varias corporis partes adegerat, easque tum instrumentis chirurgicis tum suppuratione emitti passa est, nullo autem modo indicare voluit, quonam modo acus corpus intraverint. Heroldt, professor Havniensis, in isto libello de hac muliere conscripto\* se ipsum aliquamdiu fraudem suspicatum esse fatetur, accuratiore autem observatione intellexisse, hic non agi de morbo ficto. Attamen postquam mulier per anni spatium medicos eluserat atque multa acuum milia ex omnibus corporis partibus, humeris, brachiis, pectore, inguine, genibus etc. protrahi jusserat, fraus est detecta atque Heroldt ipse palam professus est, se callida muliere esse deceptum.

Saepissime officia militaria et pericula laboresque belli ad simulandum perduxerunt hominem. Jam Rodericus a castro memorat anno MDLXXXVIII postquam decretum esset, ut classis compararetur contra Anglos, permultos Lusitanorum nautas et milites morbos simulasse et sanguinem misisse, ne stipendia facere cogerentur.

Hodie morbi simulati maxime in praxi militari atque forensi occurrere solent, quamquam etiam medico privato haud raro offeruntur. Quot enim mulieres sensiles et contumaces spasmis corripiuntur, doloribus repentinis, cardi-  
algia, colica, palpitatione cordis, hemicrania, si mariti

---

\*) J. D. Heroldt, observat. etc. Havniae 1822.

omnibus ipsarum cupiditatibus obsequi noluerint! Hos autem morbos, qui ex hysteria et debilitate nervosa proficisci dicuntur, hoc loco omittendos existimavi; alias enim morborum simulatorum species illustrare mihi proposui, maxime quidem eas, quae medico militari persaepe occurrunt.

Difficillimum saepenumero est medico, morbum fictum aut verum extra omne dubium ponere. Adminicula quidem ad naturam ejus eruendam tum ex semiotice, tum ex pathologia, tum ex ipsa therapia petenda sunt. Examine quam accuratissime instituto, medicus symptomata omnia sedulo perpendat et, num quadrent in morbum, deliberet. Externa signa cum internis haud obliviscatur conferre, animum hominis percontetur, an semper sibi constet et num consentiat cum toto morbo. Deinde, quum omnia morbi cujuslibet symptomata certo debitoque ordine prodire soleant, hujus quoque rationem habere medicum oportebit. Multum praeterea lucis causarum indagatio afferet, quocirca diligenter est disquirendum, quae quisquam antea commiserit, quaeve sit passus. Verumtamen quum sciamus morbos nonnullos exstare, qui fere ex solis aegrorum querelis cognosci possint, etiam medicamenta adhibenda sunt, proximam causam morbi, quem praesto esse opineris, tollentia. Jam vero quo facilius cognoscatur dolus, observet medicus, quemnam effectum medicamenta praescripta ostenderit; aegrotum simul diligenter observatum probis hominibus custodiendum tradat. Saepe etiam dolus medicamentis indifferentibus detegitur, si aegrotus suspectus effectum eorum gravem se sentire praetexit. Sic medicus e. g. fingat, se morbum simulanti emeticum esse daturum ac nihil nisi indifferens quoddam praebeat; si postea refert aeger, se vomuisse, certum est aliquid fraudis subesse.

Nonnunquam etiam expedit, remedia morbo ficto alias contraria homini inscio praebere ac perscrutari, num melius inde se habeat, necne. In universum autem utile erit, suspectos ejusmodi in talibus locis detineri, ubi a spectatore quodam hunc in finem delegato observari queant, quamvis sibimet ipsis sese commissos putent. Sin domi versantur, medici erit, eos persaepe ex improvise opprimere. Medicum quoque oportet considerare, utrum obvius morbus ad illos pertineat, quos imitari facile est, necne; acre aut nunquam bene finguntur ii, qui ex functionibus sic dictis vitalibus perturbatis oriuntur, multo facilius, qui naturalium animaliumve functionum laesionem prae se ferunt. Plus negotii impostoribus etiam ii morbi faciunt, quorum symptomata certiora sunt, quam ii, quorum criteria magis in tenebris latent. Medici prudentis erit, examine accurato vel morbi naturam eruere vel simulantem interrogando ita perturbare, ut eadem via capiatur, qua alios capiebat.

Si vero ex omnibus signis patuerit, hominem re vera non aegrotare, sed morbum mentiri, et si nihilominus dolo indulgere pergit, gravius in eum animadvertere licet. Medicamenta igitur, quae dolores excitant, tum demum medicum humanum et misericordem adhibere decet, si dolus aliis rationibus jam revelatus est, praecipue autem, si illa remedia malo medentur.

Quae vero remedia dolorifica nihil prosunt; impostor pertinaciter et obstinate omnes querelas sine conditionis mutatione quotidie edit et medicus eum aegrotum habere cogitur. Post aliquod tempus autem morbum simulatum esse innotescit. Complures casus ejusmodi infra afferendi haec argumentis confirmabunt.

Quibus rebus breviter expositis elucebit, quantae dif-

ficultates et quot impedimenta objiciantur medico, cujus est, an morbus simuletur necne, eruere. — Maximi momenti hoc est apud milites, praecipue eo tempore, quo bellum imminet aut hostis impetum facit. Itaque leges ab antiquissimis temporibus in impostores statuerunt poenas gravissimas. Proelium, quo Varus profligatus est, quum nunciaretur et Romae omnes fere adolescentes maximo metu inde correpti morbo simulato a stipendiis faciendis se liberare studerent, Caesar Augustus quintum quemque opibus et honore privari et postea, quia nihil profecit, pertinacissimos morte multari jussit.\* Idem Imperator bona equitis cujusdam Romani fisco tradidit, quod filio utriusque pollices absciderat, ut a militibus liberarentur.

Valerius Maximus\*\* mentionem facit cujusdam C. Vetti, qui sinistra manus digitos, ne bello Italico militaret, sibi absciderat, a senatu autem gravissima poena multatus est: Senatus, inquit, publicatis ejus bonis ipsum vinculis puniendum censuit, effecitque, ut quem honeste spiritum profundere in acie noluerat, turpiter in catenis consumeret.

M. Curius consul cum delectum subito edicere coactus esset et juniorum nemo respondisset, conjectis in sortem omnibus tribubus, Polliae, quae primo exierat, nonum quemque urna extractum citari jussit: neque eo respondente, bona adolescentis hastae subiecit; quod ut illi nuntiatum est, ad consulis tribunal concurrit collegiumque tribunorum appellavit. Tunc M. Curius praefatus, non opus esse eo cive reipublicae, qui parere nesciat, bona ejus vendidit. Hadrianus imperator quemque militem qui se ipse ex industria laeserit vel mutilaverit, capitis damnari

\*) Sueton. in Caes. August. §. 24. — \*\*) Lib. VI. C. 4.

jussit. — Hisce in universum de morbis simulatis explicatis jamjam ad singulas species nonnullas transire liceat. Neutiquam vero mihi in animo est, omnes ac varios morbos qui simulantur, illustrare (hoc enim temporis et spatii brevitatis vetat); sed, ut supra dixi, nonnullos tantum morborum attingam, quos milites plerumque fingere solent.

Inter morbos internos saepissime fingitur epilepsia, sive quod maxime ob oculos cadit et facile est eam imitari, sive quod impostores opinantur, circumstantes facillime permoveri misericordia ipsosque ab officiis praestandis liberari. Secundum Niemann\* centum juvenum qui quotannis conscribuntur, plerumque viginti hunc morbum horribilem praetexunt; quum neminem effugere possit inter omnes, quos Germania complectitur, incolas summum decem milia hoc morbo affectos esse. — Symptomata pathognomica sunt illi spasmi clonici, ad quos accedit defectus conscientiae et sensus. Signa externa: motus artuum convulsivos, retentionem respirationis, tumorem et distorti-ouem faciei, rigorem oculorum, spumam oris bene versati et callidi saepe eum in modum imitantur, ut nequaquam doli convinci queant. Medicus, verum aut falsum exploraturus, morbi causas et paroxysmi decursum respicere debet. Secundum de Haen in paroxysmo prae aliis oculi et pulsus accurate sunt observandi. In epilepsia enim vera oculi sunt rigidi, pupillae dilatatae et immobiles, pulsus autem contracti et irregulares. Porro dispiciatur necesse est, quomodo aegrotus procumbat, num forsitan periculum vitet, an dolores, si cadit in corpora dura, prodat. Deinde sunt adhibenda remedia errhina vel foetentia. — Quibus vero frustra adhibitis, fraus persaepe detegitur, si inter

---

\*) Handbuch der Staatsarznei-Wissenschaft B. 1 Kap. 105.

paroxysmum instrumenta, quae dolori efficiendo vel operationi gravi inserviunt, afferuntur; haec enim aegrotum terrent et ad profitendum dolum movent. Talem casum Boulin observavit. Miles adolescens, qui epilepsiam praetexebat, ad nosocomium deductus est. Die quodam, quo medici complures aderant, ille paroxysmo correptus est epileptico. Convulsionibus vehementissimis jactatur et alte suspirat. Boutin, aegrotum tentaturus, clara voce caeteris medicis dicit: »Vobis notum est, collegae, jam Hippocratem contendere, homines, qui podagra affecti aut testibus privati sint, epilepsia nunquam corripitur. Itaque militem huncce testibus privemus.» Dum operatio paratur, et Boutin ad lectulum suspecti aegroti accedit, subito hic assurgit et suppliciter voce orat, ne haecce operatio adhibeatur, se epilepsia laborare malle.

Raro remedia dolores excitantia re vera adhiberi necesse sit, quum paene omnes impostores, dummodo medicus dolores minetur, ad profitendum dolum cogantur. Attamen singula exempla innotuerunt, quibus impostores doloribus maximis cruciati dolum professi non sunt. De Haen\*) mentionem facit hominis cujusdam, qui sine ullo doloris signo ter quater ferro candente urebatur, ita ut omnes morbum verum adesse putarent. Deinde autem impostor sponte fraudem confessus est et coram facultate medica repetit paroxysmum. — Neque minus prostant observationes, in quibus convulsiones epilepticae, initio ex arbitrio provocatae, postea sponte redierunt. Talem casum narrat Metzger.\*\*)

\*) Ratio medendi. P. v. cap. 4.

\*\*\*) System der gerichtl. Arzneykunde. 4. Aufl. §. 396. Neue gerichtl. mediz. Beobachtungen. Bd. 1. Nr. 1.

Persaepe etiam fingitur apoplexia et inde proficiscens paralysis. Zachias\*) mentionem facit hominis cujusdam, qui ex arbitrio paroxysmum apoplecticum simulare poterat et ad explorandam veritatem praeprimis laudat remedia errhina, deinde vesicantia, ferrum candens, cucurbitas quae fervidae applicatae violenter avellantur. In paralysis remedium efficacissimum est vis electrica. Impostores rarissime ictum electricum validum sustinere possunt. Blatchford narrat, captivum quendam, cujus paralysis ficta nullo modo sanari poterat, adhibito ictu uno electrico exsiluisse et aufugisse, captum autem missionem postulasse. Repetendum tamen est, medicum nunquam temere ad tam acerba remedia confugere debere, nisi simulationis suspicio certissimis indiciis confirmata sit. Itaque casus, quem Percy et Laurent narrant, indignationem omnium hominum humaniorum movet. Miles quidam, antea probus et diligens, paralysis brachii sinistri laborabat. Chirurghi militares multis tormentis illum eo perducere studebant, ut paralysis simulatam profiteretur et brachium, quod perpetuo remissum laxumque tenebat, attolleret. Miser oculis lacrymantibus affirmavit, se exsequi non posse, quod postuletur. Chirurghi autem nihilominus judicarunt, nullam esse causam, cur miles brachium tollere nequeat. Percy et Laurent, qui modo, quum miles denuo cruciaretur, ad exercitum advenerunt, eum apportari jusserunt, arbitantes, hominem re vera aegrotare. Vestibus remotis et brachio accurate explorato, quod male nutritum et laxum invenerunt, in superiore ejus parte vulnus parvum ad cicatricem jam per-

---

\*) Quaestiones. L. III. Tit. 2. l. c.

ductum animadverterunt. Hoc in proelio quodam tulerat per mucronem, qui penetrans cutem sine dubio ramum deltoideum nervi axillaris persecuerat et tali modo paralyisin musculi deltoidei, qui brachio attollendo inservit, effecerat.

Haud raro fit, ut homines dolores simulent, quos persaepe neque tumor, neque aliud signum externum, comitantur. Quam ob rem difficile est, fraudem detegere, nec temere judicare debemus, ne injuriam faciamus. Primum respiciendum est, num homo, qui simulat, ignorans naturam dolorum praetextorum, secum dissentiat; porro num ea, quae quemque dolorem vehementem et continentem sequi soleant, deficient. Quod ad hoc attinet, opus est, ut dolore vires exhauriantur. Quae consumptio virium sin non adest, dolor simulatur. Quibus exacte consideratis medico saepe continget, ut impostores convincat. Facile nihilominus esse, medicum decipi, casus demonstrabunt, quos Fodéré commemorat: Quidam miles propter ingentem sinistrae extremitatis inferioris dolorem, quem ex refrigeratione se tulisse affirmavit, in nosocomium receptus omni opera per octo menses curatus est sine ullo effectu. Extremitas macrescebat saepius applicatis vesicatoriis et cauteriis; contractura ejus intravit et cum aegroto sibi pauci tantum porrigerentur, pallor et relaxatio totius corporis successerunt. Itaque Fodéré consilium cepit, militem dimittendi. Fulcro nisus aegrotus ex nosocomio discessit, domumque petiit. Attamen quidam commilitonum ipsi fortuito occurrit eumque videt fulcro abjecto sine ullo impedimento ambulantem; quamobrem custodiae traditus poenam dolo accommodatam dedit. Waldschmitt\*) hominem, qui dolorem capitis continentem

---

\*) De morbis simulatis et dissimulatis.

et nullo remedio cedentem simulavit, eo sanavit, ut pararet terebrationem, quod quum animadvertisset miles, aufugit.

Morbus, qui persaepe simulatur atque magnam praebet difficultatem cognoscendi, est incontinentia urinae. In Gallia haud raro evenit, ut inter mille conscriptos milites eodem tempore viginti hunc morbum praetexant, quamvis constet inter mille juvenes vix semel illum occurrere. Ut fraudem revelemus, primum respiciendum est, num re vera urina continuo guttatim emanet. Propterea ostium urethrae linteo exsiccandum est; si morbus verus adest, non multo post novae guttae provenient; sin minus, e contentione musculorum insolita, ex suppressa respiratione et per radium promanante urina fraudem detegere medicus poterit. — Percy et Laurent eo dolum aperuerunt, ut de morbo querentes milites observari juberent, si tempestate frigida atque madida vigiliis agebant, inter quas, uti facile patet, missionem urinae inhibebant. Interdum hi viri catheterem in vesicam urinariam immiserunt et post horas tres eam vacuefecerunt et penem ligno alligarunt. Hutchinson et Marshal commendant magnas opii doses; si urina inter somnum non mittitur, dolum subesse arbitrantur. Quod vero remedium repudiandum, quia fieri potest, ut, diminuta per opium colli vesicae sensibilitate, aliquamdiu urina retineatur. Persaepe accidit, ut impostores, si perterrentur, convincantur. In nosocomio quodam militari famulus, cui cura aegrotorum erat commissa, hos morbos simulatos eo sanabat, ut aegrotos, fiducia eorum sibi conciliata, in conclave cadaveribus inserviens introductos prolatis praeparatis, quae horribilia erant visu, perterreret simulque ipsis affirmaret, fore, ut vesica affecta excideretur et farciretur vesica hircina. Quae cura fere omnes aegrotos restituit.

Morbi externi simulati in universum facilius dignoscuntur; haud raro autem patientia medici simulatione graviter fatigatur. Inter hos praecipue pertinent erysipelas, ulcera et contracturae, quae impostores ita imitari possunt, ut nullo modo fraus aperiri queat. —

Excitandis ulceribus et erysipelati inserviunt multa acria atque cauteria, quae impostor clam loco alicui applicat, post aliquod tempus autem multo cum studio removet. Veteres praecipue ad hunc finem usi sunt Thapsia, cujus Sylvaticus hisce verbis mentionem facit: Accipiunt aliqui amiantum lapidem et auripigmenti quintuplum, Thapsiaeque radicibus adjectis cum succo scillae linimentum conficiunt, quo partes, quas volunt, perfricant et ulcerationem lepraeque quid simile adducunt. Hodie vero praecipue hunc in finem adhibentur cantharides, Daphne mezereum similiaque acria: Euphorbiaceae, Ranunculaceae, quae omnia primum erythema et erysipelas, deinde autem ulcerationem efficiunt. Si medici est, iudicium ferre, num ulcera sint artificialia an sponte orta, primum respiciendum est, quales sint partes vicinae. Ulcera artificialia habent ruborem circumscriptum, apud spontanea autem hic sensim in colorem sanum transiit et tela cellulosa vicina semper indurata et callosa. Si ulcus per longum tempus protrahitur, cachexia totius corporis et fere semper atrophia partis affectae intrat. Bonus ergo faciei habitus, constitutio robusta, oculus splendens, dentes sani etc. movent suspicionem. Igitur opus est, ut talis aegrotus in lecto decumbat, atque partibus affectis farciae applicentur, quae, ut animadverti possit dolus, lineis continuo atris obducendae sunt. Si haec quoque frustra adhibentur, magni momenti est, ulcus charta circumdari, qua impostor impediatur, quominus acubus et aliis instrumentis ulcus denuo irretet.

Recentiore tempore in nosocomiis anglicis ulceribus affecta extremitas inferior ferula lignea serramento praedita circumdata est. — Si meditamus pertinaciam, qua homines isti, qui ulcera arte faciunt, utuntur, ita ut morbis periculosus affici malint, quam a doli continuatione desistere, mirum videri non potest, quod in hisce casibus simulationi tali modo occurratur. Notati sunt permulti casus, in quibus juvenes istis malis arte provocatis inexpugnabiles miseras sibi pepererunt. Ita commemorat Hutchinson, opus fuisse apud militem quendam, ut propter ingentem tibiae cariem amputatio institueretur. Quanquam magna aderat suspicio, tamen negavit dolum; quindecimo die, quo operatio institueretur, se culpae expertem dixit, et tum demum confessus est, quum in pede amputato tres pollices a margine ulceris inter musculus gastrocnemium et soleum nummus detectus esset, quem ante novem menses in ulcus inseruerat, ut dimitteretur.

Contracturae et curvaturae articulorum facillime fingi possunt. Quanquam negari nequit, has affectiones per saepe ex morbo primario dignosci posse, nihilominus interdum accidit, ut morbus primarius nulla signa externa relinquat, id quoque saepe fit in contracturis affectiones rheumaticas secutis. Inde haud raro magna difficultas noscitur, simulationem aperiendi, quod hii casus probat. Miles quidam doloribus et tumore genu sinistri laborans in nosocomium receptus et lege artis curatus ex medici sententia aliquanto post sanatus est. Tum vero contractura articuli genu sese affectum conquestus est, quae tanta sit, ut non nisi claudicans incedere possit. Omnia experimenta, quae de hujus morbi natura a medicis instituebantur, frustranea fuerunt, neque quidquam reliquum erat, quam ut per longius temporis spatium in nosocomio

militari observandus detineretur. Affectionem rheumaticam ligamentorum in principio adfuisse, medicus certissime cognoverat, quare derivantia aliaque antirheumatica iterum adhibita sunt. Omnia autem medicamenta tum interna, tum externa, vesicatoria, imo moxae, irrita fuerunt, aeger tendines musculorum flexoriorum in brevius contractas esse, seque hanc ob causam femur extendere nequire, tenaciter contendit. Quum vero nullum morbi praegressi residuum inveniretur, imo genu sinistrum plane normalem formam et colorem praeberet, ex nosocomio est dimissus, ut articulus medicaminibus fortasse debilitatus usu assiduo restitueretur. Attamen post plures menses morbum in melius versum esse negavit, ideoque, quum etiam indulgentiam illudere videretur, denuo consilium medicorum de eo habitum est, atque simulatio, quam medici jam dudum suspicati erant, experimento simplici detecta. Hoc experimentum ita institutum est. Duo medici utrumque femur atque crus eodem tempore amplexi sunt, ita ut alter alterum ambabus manibus teneret. Tum uterque eodem temporis momento flexionem et deinde extensionem articuli tentavit. Miles, qui genu sinistrum contractura affectum esse praetexuerat, non solum musculos flexorios hujus femoris omni vi contraxit, sed etiam eosdem musculos alterius femoris, id quod medicus, qui hoc membrum manibus teneret, perbene sensit. Tanta enim est motuum associatio, ut nemo hoc in casu alterius membri contractionem vitare possit, nisi alter articulus vera contractura laboret. Postea quum miles intelligeret, tali modo fraudem cognitum iri, musculos femoris non contraxit, quo factum est, ut etiam femur sinistrum per medicum extendi posset.\*)

\*) Henke, Zeitschrift. *Beobachtung eines rheumatischen Gelenksleidens*

Percy\*) aliud experimentum in equite quodam instituit, qui se digiti contractura affectum esse quaerebatur. Antibrachio taeniis circumvoluto, vinculum digito circumdedit, cui pondus librarum sex afficit. Ita eques ante centurionis januam in aedacula excubatoria stare coactus est. Paulo post autem, sexta horae parte vix elapsa, brachium tremere coepit atque digitus contractus ponderis mole est extensus. Hoc sine dubio fieri non potuisset, si eques vera contractura laborasset.

Saepe etiam contingit, ut impostor convincatur, si articulus, quem contractura affectum simulat, intra somnum opio provocatum caute flectitur, aut tenditur et dormiens coram testibus expergefit. In aliis casibus sufficit, aegroti magnum terrorem incutere, si e. g. affirmatur, morbum operatione tantum sanari posse et deinde instrumenta ostenduntur, cui methodo perpauci resistunt. Ictu quoque electrico ad aegrotam partem admissa fraus interdum detecta est. Omnia autem experimenta non nisi necessitate coactus semperque cum humanitate instituere nos oportet.

---

\*) Dictionnaire des sciences médicales.

## Literatura.

- C. Galeni liber, quomodo morbum simulantes sint deprehendi. Paris. 1578.
- J. B. Sylvatici institutio medica de iis, qui morbum simulant, deprehendendis. Mediol. 1595.
- F. G. Neumann, de simulatione morbi. Viteb. 1688.
- W. H. Waldsehmidi, de morbis simulatis et dissimulatis. Kilonae. 1728.
- F. Hoffmann, de morbis fictis. Hal. 1750.
- R. A. Vogel, de morbis simulatis et quomodo eos diagnosecere liceat. Goetting. 1769.
- P. Sanville, examen des infirmités ou maladies, qui peuvent exempter du service militaire et necessiter la reforme. Par. 1810.
- Th. Will. Blatschford, on seigned diseases. 1817.
- A. Henke, Zeitschrift für Staatsarzneikunde, Jahrg. IV. Heft I, 1824.
- De Haen, ratio medendi. Pars V. Cap. IV.
- B. Rudolphi, Diss. de morb. simulatis. 1821.
- J. F. Niemann, Taschenbuch der Staatsarzneiwissenschaft. Vol. I. Leipzg. 1827.
- W. Fr. Wendroth, Anleitung zur Untersuchung der militärpflichtigen und invaliden Soldaten. Eisleben. 1839.
- Metzger, gerichtlich medizinische Abhandlung. I. p. 27.
- Percy im Dictionnaire des sciences medicales.
- Die Handbücher der gerichtlichen Medizin von Henke, Siebold, Nicolai.
-

INSTITUTION

Theses.

1. Nomina maximum in medicina malum sunt.
2. Specifica non sunt.
3. In morbis acutis exanthematicis methodus symptomata optima.
4. In delirio tremente usus spirituosorum indicatus.
5. Reunio per primam intentionem in amputationibus semper est tentanda.
6. Nulla cataractae operandae methodus ceteris praeponenda est.
7. Imaginatio gravidarum ad foetus conformationem non influit.
8. Rectius agit, qui in morbo nihil agit, quam qui sine diagnosi agit.